





*Pri. Bonam. I.*

24  
Q. D. B. V.  
*DISSERTATIO IVRIDICA*  
DE

*1720 246*  
**ADITIONE**  
**HEREDITATIS**

PER

**ALIVM**

*QVAM*

*BENEVOLO CONSENSV*

*ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS*

*PRÆSIDE*

**CONRADO FRIDERICO**

**REINHARDO**

*PHIL. ET I. V. DOCTORE*

*PVBlico EXAMINI SVBIICIET*  
**FRIDERIC. AVGVSTVS REICHHELM**

*HALA - MAGDEBVRGICVS*

*PHIL. ET IVR. CVLTOR.*

D. XXVII. NOVEMBR. CLO IOCE XX.

*H. L. Q. C.*



*HALÆ MAGDEBVRGICÆ,*  
*TYPIS CHRISTOPHORI SALFELDII VIDUÆ.*

Dissertatio  
de  
ADDITIONE  
HEREDITATIS

PER  
ALIVM

GONRADO FRIEDERICO  
BRINHARDO  
PHIL ET L A DOCTORE

FRIEDERIC AGASTAS REICHHELM  
HALV MAGDEBVRGICAS  
THIATIAR CAVTOR

a. XXVII. ZYLVAN. CO. 1500. M.

H. G.

LYRIC CHRISTOPHERI SELLELDI ADIDAE  
HALV MAGDEBVRGICAS

REVERENDISSIMO ET ILLV-  
STRISSIMO DOMINO,

DOMINO

MARQVARDO  
LVDOVICO

LIB. BARONI DE

PRINZEN

POTENTISSIMI REGIS PORVS.  
SIAE SVPREMO AVLAE MARE.  
SCHALLO, RERVM BELL AC PACIS SANCTIORI  
MINISTRO, PORVSSICI ORDINIS NIGRAE AQVILAE EQVI.  
TI, PRAEFECTO PALATINO, SACRORVM TRIBVNALIVM  
PRAESIDI, REI BENEFICIARIAE SVPREMO DIRECTORI,  
PRAEFECTVRARVM IERICHO ET ALTENPLATHO GV.  
BERNATORI, REI LITERARIAE REGIARVMQUE ACADE.  
MIARVM ET SCHOLARVM CVRATORI, MAGDEBVR.  
GENSIS BASILICAЕ CANONICO, DYNASTAE IN KARO,  
SEDORF, NIELBOCK, WESLIN, RADERS.  
DORF,

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO.

REVERENDISSIMO ET HIL  
ATRISIMO DOMINO  
DOMINO  
**MARQVARDO**  
**LADOUICO**  
TRI BARONI DE  
**PRIUEN**  
POTENTISSIMI REGIS PORAS.  
SIAE SAPREMOSA VALDE MARRE.  
QUINTO, REX, REI AC PVCS SANCTIORI  
MUNTO, FORASSIDI, ORDINIS NIGRAE ADYAE BOA  
AL PREFECTO PALATINO, SACROVM TRIBUNALIA  
LUSIDI, REI BENEFICIVM STAREMO DIRECTORI  
LITERATUARVM HERCIO ET ALITERVATHO GA  
GERNATORI, REI TITERRAVIE REGIARUM OVADE  
MVRAM ET SCHOLARVM CARATORI, MAGDEBVR  
GESSORI, NEERBOCK, WESTIN, RADERS.  
DOR  
DOMINO SAO GRATIOSISSIMO.

REVERENDISSIME  
ET ILLVSTRISSIME  
DOMINE,  
*DOMINE GRATIOSISSIME.*



Runt fortasse multi, qui  
eminentis cuiusdam ac  
proiectae audaciae me  
incusabunt, dum vi-  
dent, NOMINI TVO, munerum et  
): ( 2 me-

meritorum gloria eminenti, opu-  
sculum, tam humile, tam nullo expo-  
litum cultu, a me dicari, cum TVA  
tamen domi forisque tam spectata  
virtus perfectum industriae moni-  
mentum requirere videatur. Evidem  
scio neque illud magnum, neque in  
pretio habendum esse, si molem eius  
reputo et pondus, sed si animus ali-  
quam ei conciliare gratiam potest,  
summae profecto submissionis, quam  
TIBI, ILLVSTRISSIME DOMINE, debeo, da-  
bit significationem. Nam cum SAPR-  
ENTISSIMI REGIS iudicio, et diuino  
plane consilio, post supremum quod  
in sanctiori Senatu tenes fastigium,  
tot-

totque alias dignitates insignes, inque  
aula Regia summas, haec quoque  
TIBI prouincia sit delata, vt literas,  
quae in POTENTISSIMI PORVSSO-  
RVM REGIS terris vigent atque flo-  
rent, auxilio defendas, auctoritate  
TVA sustineas, et, ne quid damni hae  
capiant, tempestive praeuideas; inde  
simul patet, esse TIBI operaे, in  
poliendis limandisque artium studiis  
positae, reddendam rationem. Haec  
et alia, in primis quae TVA sit in  
literas propensa voluntas, consi-  
deranti mihi facile iam erat ea, quae  
me ab officii cursu reuocare poterant,  
remouere, ita vt tandem firmum me-

: ( 3                    cum

cum inirem consilium, TIBI, MECOENAS INDVLGENTISSIME, p<sup>r</sup>a<sup>e</sup> aliis,  
idque merito, hos labores academicos esse consecrandos. Quantae igitur  
venerationis, tantae fiduciae, plenus, quod huius a me initi consilii  
veniam, quam demisse obseruanterque peto, benigne sis concessurus,  
schedam TIBI, ILLVSTRISSIME DOMINE, offero praesentem, volens hac  
ipsa sancti cultum obsequii pia mente TIBI comprobare. Accipias itaque,  
submisso rogo, illam, et quantum per ardua TVA negotia licet, benigne  
aspicias, TVAQVE gratia, vel deuoti autoris causa, haud vsque quaque indignam

dignam existimes, quippe qui in tu-  
tela T V A esse gestit atque exoptat, et  
spes suas fortunasque omnes TIBI  
commendat. Ceterum a Diuino  
Numine, quod nutu suo omnia re-  
git, et res humanas moderatur, id  
religiosissime precandum TIBI, du-  
co, et continenter exorandum, vt  
TE, ILLVSTRISSIME DOMINE, in  
sinum tutelamque suam receptum,  
optatissimo reipublicae, et doctrinae  
omnis eni datae, praefidio, immor-  
tali posteritatis gloriae, saluum  
diu et in colum praestet, consilia,  
actiones cunctas et labores in ad-  
ministrandis conficiendisque negoti-  
is

is fortunet, ac perpetua et stabili  
felicitate vti. frui et gaudere patia-  
tur.

**REVERENDISSIMO ET  
ILLVSTRISSIMO NOMI-  
NI TVO,**

Hale Magdeburgicae,  
clo xx, quinto  
Calend. Decembr.

Deuotissimus cliens  
et seruus

C. F. REINHARDVS. D.



DE  
**ADITIONE HEREDITA-**  
TIS PER ALIVM,

*PRO OEMIVM.*



Vi iuri ciuili romano operam dant,  
illis necesse omnino est, si lætos ni-  
mirum inde uberesque, ut oportet,  
fructus percipere volunt, ut cum eo-  
dem et iuris naturalis et antiquita-  
tum studium coniungant. Nam Ro-  
mani iuri communi, quod non nisi  
præcepta naturalia continet, modo detrahentes, modo  
de solennitatibus, inter suos receptis, quid addentes, pro-  
prium tandem ius, quod ciuale romanum audit, effe-  
cerunt. Quomodo itaque fieri poterit ut quis legum  
romanarum interpretationi, earundemque conciliationi  
utiliter incumbat, a quo tamen vtrumque, et antiquita-  
tum et iurisprudentiæ naturalis studium nunquam non  
neglectum fuisse constat? Tot sane dubia ipsi, quippe  
necessariis ad id subsidiis destituto, quoquo tempore ob-  
uenient, vnde se haud poterit explicare. Lectu omni-  
no digna sunt quæ hanc in rem differit AV T OR libri, cui  
titulus, *Les loix civiles dans leur ordre naturel*, in præ-

A

fatio-

2  
fatione: *Dans presque toutes les matières particulières du loix civile le plus grand nombre de leurs principes & du détail même de leurs règles est du Droit naturel & de l'équité; ce qui s'y trouve mêlé de loix arbitraires, renfermée les sources de difficultez.* Facile iam mihi foret modo allata variis exemplis, ex ipso iure romano de promptis, roborare, nisi certo scirem hæc dubio carere omni. Sed magis adhuc forte de asserti huius veritate constabit ex iis, quæ de ADITIONE HEREDITATIS PER ALIVM, olim quidem ob solennitates actui huic adscriptas prohibita, nostris vero moribus permissa, in præsenti commentari habeo constitutum. Nam cum in argumenti huius illustratione non iniucunda romanarum antiquitatum subtilitas vtramque faciat paginam; inde simul erit manifestum, nobilissimum antiquitatis studium multum conferre ad iuris ciuilis explicationem, ideoque merito id cum altero interpretationis fonte, iuris naturæ doctrinam intelligo, coniungi. Ante vero quam rem ipsam aggredior, et in canas, ob quas Romæ HEREDITATIS ADITIO PER ALIVM fieri haud potuerit, inquirō, nonnulla adhuc præmittenda erunt, quæ non solum ipsum aditionis ritum, tam solenniter Romæ peractum, illustrant, sed et heredum apud eosdem differentiam ostendunt, cum certum omnino sit, hoc ipso viam simul parari ad Romanorum subtilitates, quarum intuitu ADITIO PER ALIVM eorundem legibus prohibetur, eo melius intelligendas eruendasque.

§. L

## §. I.

**D**plex est, vti constat, vocis *hereditatis* Hereditas su<sup>a</sup> in iure ciuili significatio, altera propria, mitur vel proprie, altera impropria audit. Hac ipsæ res hereditariae veniunt, illa, et quæ huc pertinet, indicatur *succesio in uniuersum ius quod defunctus habuit, nec morte eius fuit extinctum.* l. 62. de R. I. l. 24. et 208. de V. S. et l. 11. de diuers. et tempor. prescript. Et in hoc sensu hereditas est nomen iuris, ac pertinet ad res in corporales. § 2. l. de reb. incorp. adde FR. DUARENUM in comment. ad D. tit. de A. vel O. H. c. 1. p. 434. it. ad tit. de heredit. vel actione vendita c. 1. p. 1022. IAC. CVIACIVM in comment. ad African. tractatus IV. p. 427. CORN. VAN BYNKERSHOEK de rebus mancipi, c. 8. p. 128. Vtriusque speciei differentias notarunt FRANC. HOTTO MANNUS in Quæst. illustr. qv. 21. p. 143. IAC. RAEVARDVS in comment. ad tit. D. de divers. R. I. ad l. 62. p. 271. seq. FRANC. CONNANVS commentar. iuris civ. l. X. c. 5. n. 1. p. 902. CONSTANTINVS HARMENOPHOLVS in promptuar. iur. civ. lib. V. tit. 8. p. 216. et HVGO DONELLVS commentar. de iure ciuili l. VI. Hereditatis c. 2. p. 225. 226. Jam de hac ipsa succeſſione, quæ hereditatem notat, si queritur, quomodo illa veniat instituenda? vel quod idem est, quomodo hereditas acquirendā? dicendum erit, variare modum, sub quo hereditas acquiritur, pro diuersitate heredum, cum alii sint necessarii, vel sui et necessarii simul, alii extranei sive voluntarii. vide de his FR. RAGVELLVM commentar. ad Decis. Justin. ad l. ult. C. de impuber. p. 448. et IO. VOETIVM in comment. ad D. tit. de acquir. vel omitt. hered. §. 2. p. 262, et de modo acquirendi hereditates diuerso, I A C.

CVIACIVM comment. ad D. tit. de A. vel O. H. p. 38. ELBERTVM LEONINVM in emendate, sive obseruat. L. II. c. 13. n. 2. seq. SCHVLTINGEN in notis ad VLPIANI fragm. XXII, 27. p. 642. et HVBERV M alii necessarii, pralection. iur. P. I. civ. tit. XIX §. 8. De necessariis, hos ipso iure heredes esse, ita ut ne quidem abstinenti beneficio gaudent, constat ex l. 57. §. vlt. et l. 63. D. de A. vel O. H. adde ANT. FABRVM iurisprudentie Papini- an. scientia, ad tit. J. de P. P. principio VII. Illat. IV. p. 323. Multum ab his differunt heredes sui et necessarii simul, alii sui & necessarii simul, qui, ignorantes etiam, existere, non demum actuali aditione fieri heredes, & abstinenti beneficio, ipsis a Praetoribus concessio, se immiscere vel retinere dicuntur l. 20. §. 2. l. 41. D. de A. vel O. H. l. 3. C. de iure delib. et l. 8. C. de suis et legitim. conf. PETR. FABRVM Seme- strium L. II. c. 22. p. 326. FRANC. SARMIENTI interpre- tar. select. l. IV. c. 16. p. 251. IAC. CVIACIVM in not. ad J. tit. de bered. qualit. et differ. p. 102. it. in comment. ad D. l. 2. de excusat. p. 185. et FR. DVARENVM d. l. c. 2. p. 436. et c. 3. p. 439. Et cum viuo adhuc parente quodammodo domini et possessores iidem existimentur per c. l. 41. et §. 2. l. de bered. qualit. hinc et eorum immixtio elegan- ter continuatio dominii nominatur l. 11. D. de liber. et posse- bum, vide VINCENT. BOREVM alveario iuris, tit. 137. FR. RAGVELLVM comment. ad Decision. Iustin. ad l. vlt. Si i. C. de curatore furioso, p. 379. CORN. VAN BYNKERSHOEK obseruat. iur. rom. l. II. c. 1. p. 109. et c. 2. p. 116. Non inconsulto vero particula rō quasi adhibetur, eo quod hoc quasi dominium, liberis viuente adhuc parente tributum, a mera iuris civilis dispositione eiusque arguta fictione de- fundatum existit. FR. CONNANVS d. l. p. 907. MARCVS LYCKLA-

LYCKLAMA A NYHOLT membranar. lib. VII. eclog. 25.  
P. 297. VLR. HVBERVS Digress. I. IV. c. 8. §. 5. seqq. et in  
Praelect. iur. civ. part. I. tit. XIX. §. 1. et 8. seq.

## §. II.

Missos nunc facio illos heredum, qui vel *necessaria*  
*rii* simpliciter, vel *sui* et *necessarii* simul vulgo nominan-  
tur, et vi vocis iam satis a *voluntariis* heredibus di-  
stinguuntur, cum nihil ad nostrum scopum illi faciant,  
silentio licet hoc loco vel ob id haud prætereundi, ne  
herendum diuisio manca existat atque imperfæta. Mihi  
porius in præsenti curæ in primis sunt heredes *voluntarii*  
*sue extranei*, cum horum proprium sit *adire* hereditatem,  
cui tantum se *immiscere* *sui et necessarii* heredes dicuntur.

alii voluntarii  
sue extra-  
nei dicuntur.

Soli itaque heredes extranei hereditatem acquirebant iu-  
re romano, idque vel in continenti, vel per aliquod tem-

Ab extranis  
hereditas olim  
acquirebatur  
vel in conti-  
nenti,

poris spatium, legibus determinatum. Illud mediante aere  
et libra, hoc cretionis solenni ritu interueniente, vel pro be-  
rede gerendo contingebat. PETR. FABER Semestr. I. II. c. 22.

P. 326. HVGO DONELLVS comment. de iure civ. I. VII.

c. 8. P. 298. seq. De acquisitione, quæ in continenti siebat,

iam notare placet, celebratam fuisse hanc per *nexus si-*

ue mancipacionem

, hoc est, *imaginariam venditionem*. §. 1. mancipatio-

I. de testam. Illustrabimus hæc verbis CAII, pr. I. de nem,

testam. ibi: Per uniuersitatem, hoc est, omnia simul bona

acquirimus hereditate, emtione, adoptione. Equidem

multi voce emtione, solennem olim bonorum em-

tionem, (quam neruose satisque eruditæ explicat ANT.

SCHVLTING in jurispr. ante Iust. ad h. I. p. 92.) denotari

a CAIO volunt: Verum probe ostendit SCHVLTING c. I. in locum verborum, hereditate, emtione, sub-

stituendum, hereditatis emtione, quippe quæ CAII tem-

poribus frequens adhuc erat atque vistata. De ipsis

et quidem per

solemnitatibus, in hereditatis mancipatione adhibitis o-  
lim, optime constat ex AVLO GELLIo Noct. Attic. l. XV.  
25. VLPIANO fragm. XX, 8. et THEOPHILO pa-  
rapbr. I, §. 1. de testam. p. 188. seqq. Quibus adde FR. C-NO  
NANVM comment. iur. civ. l. IX. c. 1. n. 3. seqq. p. 743. et  
III. THOMASIUM in dissert. de sensu legis decemvir.  
testament. §. 3. seqq.

## §. III.

Magis notatu dignum hoc loco erit, ciuibus' ro-  
manis proprium fuisse adire hereditatem, pluribus do-  
cente id CAR. SIGONIO de antiquo iure ciu. rom. etc. l. I.  
c. II. Quoniam enim hereditas, cum per aës et libram  
effet mancipanda, res mancipi hoc ipso euadebat, hoc  
est talis res, quæ non nisi in proprietate ciuium ro-  
manorum erat, eo quod his solis dominium Quiritarium  
et proprietas, id quod vel mancipationem, quæ erat speci-  
es emtionis, vel in iure cessione contingebat, acquire-  
batur; fieri sane aliter haud poterat, quam quod pe-  
regrini a iure sibi hereditatem acquirendi omnino repel-  
lerentur, cum dominium Quiritarium per solennem  
mancipationis ritum haud transferri ad eos posset, quip-  
pe inhabiles ad omne id quod solemnitatibus Romæ erat  
peragendum. vide I A C. CVIACIVM in notis ad VLPIA-  
NI fragm. tit. XIX. p. 151. GRAVINAM de orig. iur. civ.  
l. II. c. 44. p. 327. seqq. et c. 81. p. 445. seqq. CORN. VAN EYN-  
KERSHOEK de rebus mancipi et nec mancipi. c. 7. p. 123.  
et c. 8. p. 128. seqq. et SCHVLTING, in iurispr. ante Iustin.  
p. 619. Eadem subest causa, cur antiquissimis temporis  
bus, cum testamenta adhuc in comitiis calatis conde-  
rentur, aequa exclusi fuerint peregrini ab hereditatibus  
capiendis, nam comitorum iuris soli ciues romani di-  
gni habebantur, omnibus peregrinis, furiosis, pupillis,  
fœmī-

fœminis aliisque personis, quos ill. THOMASIVS cit. disserit, accurate recenset, eo exclusis. confer IAC. RÆVARDVM de iuris ambiguitatibus l. V. c. 12. Ceterum, qua ratione hereditatum mancipationes ab eo tempore, quo testamenta in comitiis calatis condi derierunt, magis ac antea frequentes Romæ esse ceperint, pluribus docet HVBERVS digress. IV, 31.

## §. IV.

Sed factum est tandem ut Romani, iam perfacli sed dein abrogandis inciperent cogitare. Inprimis autem Prætores, qui stricte iuris rigorem æquitate temperare, quæque ardua et difficultatibus obnoxia erant ad pristinam simplicitatem reuocare studebant, non poterant non etiam istas ambages auersari. Hinc, veteri illo testandi modo dimislo, nouum introduxerunt, intelligo testamentum septem testium signis confirmatum. Quod testandi genus quoad originem suam licet Prætoribus merito acceptum sit ferendum: Ob varias tamen eidem ex iure ciuili adscriptas solennitates, (quarum non postrema erat, vt ipsa heredis institutio verbis directis et solennibus fieret, §. 2. l. de fiducie hered. sublata dein l. 15. C. de testam.) et quo ipso in vnam consonantiam ius civile et prætorium iunctum dicitur §. 3. l. de testamento, iam magis iuris civilis quam prætorii testamenta, prout nunc conduntur, aliis recte existimantur. HVBERVS Digress. l. IV. c. 33. CORN. VAN BYNKERSHOEK. in observ. iuris rom. l. II. c. 2. p. 113.

## §. V.

Nouo iam testandi modo introducto noua etiam forma, secundum quam hereditas ex testamento legitime condito acquireretur, inuenienda erat. Placuit illam titulo insignire hereditatis aditionis, quæ in genere spectata

Vel per alio quod tempus,

nempe hereditatis aditionis ne.

spectata per legitimam voluntatis declarationem, quod quis  
esse velit heres, recte definitur. Nam distingui abhinc  
cepit hereditatis aditio à voluntate, quippe vel factis, vel  
verbis declarata, in gestionem pro herede, et aditionem in  
specie sic dictam. Ad hanc rite celebrandam in ipso actu  
creationis, de quo mox dicendum venit, præter alias  
solennitates et solennia quedam verba requirebantur,  
quibus tamen carere omnino poterat gerere se tantum  
volens pro herede, id est pro domino, cum ipsi sufficeret  
factis heredi conuenientibus voluntatis sua significatio-  
nem edidisse. vide PAVLVM sententiarum l. IV.  
tit. 10. §. vlt. 1.3. C. ad SCUM Orphit. addit PETRVM FA-  
BRVM semebr. l. II. c. 22. p. 326. et SCHVLTINGIVM in  
notis ad PAVLI sentent. p. 642. Ut itaque pro herede ge-  
stio iuxta l. 20. pr. l. 21. §. 9. et l. 88. D. de A. vel O. H. me-  
rito habenda sit pro specie hereditatis aditionis, declaratae  
factis heredi conuenientibus et animo adeundigestis. HV-  
GO DONELLVS comment. de iure civ. l. VII. c. 8. p. 300.  
et FR. HOTTO MANNVS in respons. amicab. l. I. c. 6 p.  
48. seq. Et ne forte cuiquam dubium adhuc relinquatur,  
cur leges Romanorum ad animum gerentis non nisi re-  
spiciendum hic esse voluerint, ita ut, ipso licet facto cir-  
ca res hereditarias haud versante, nihilominus tamen  
recte aditio pro herede gerendo celebrata dicenda ve-  
niat, modo illud gestum fuerit animo hereditatem ade-  
undi? Ipsa huius rei ratio statim additur in cc. II. quia  
nempe pro herede gestio non tam facti, quam animi exi-  
stit. addit l. 26. D. de A. vel O. H. et §. vlt. I. de hered. qua-  
lit. et differ. et l. 1. si aria C. de iur. delib. Vnde et murus  
seruus olim non cernendo, sed pro herede gerendo ad-  
dire poterat hereditatem, et dominum obligare. PAVLVS  
sent. III. 4; u. p. 350. Denique de hoc acquirendi modo  
ex

EX VLPIANO fragm. tit. XXII. §. 25. et 26. adhuc obserua-  
mus, tum demum ei locum olim fuisse, si non cum cre-  
tione heres quis fuerat institutus, licet hoc casu quoque  
idem cernendo adire hereditatem, si vellet, non prohi-  
beretur. SCHVLTING d.l.p. 642. et IOSEPH AVERA-  
NIVS interpret. iur. l.II. c. 12. n. 15. p. 151.

## §. VI.

Quæ cum ita sint, et duplice tantum modo, quip-  
pe vel cernendo, (qui modus *νατ ἐξοχὴν* initio olim no-  
mine aditionis veniebat) vel pro bocedo gerendo, heredi-  
tatem adire extraneis permiserint leges Romanorum;  
nescio sane, ex qua ratione IAC. CVIACIVS in paratit, ad Notatur Cuia.  
D. tit. de A. vel O.H. p. 38. et VOERIVS in comment. ad cius, tres olim  
D. tit. eod. §. 3. p. 362. moti fuerint, vt assertum ibidem aditionis spe-  
irent, tribus modis, quos cretionis, pro herede gestionis, ens,  
et denique aditionis in specie sic dictæ verbis simul expri-  
munt, sibi hereditatem acquirendi potestatem accepis-  
se extraneos legibus romanis, cum certum tamen sit ex-  
pediendumque, tam cretionem quam aditionem ad idem  
olim pertinuisse, nec a se inuicem separari vtrumque  
potuisse, prout luculentex ex ipsis Romanorum legibus  
ostendit atque probat HVGODONELLYS in comment. de  
iure ciu. l. VII. c. 8. p. 300. Haud nos quidem fugit, suc-  
cessu temporis apud Romanos verba solennia in here-  
ditatibus adeundis negligi cepisse, et satis abhinc habu-  
isse illos quæcunque hanc in rem adhibere verba, de  
qua noua acquirendi hereditatem specie, matri, patruis,  
ceterisque agnatis a Constantino M. concessa, loquitur  
l.r. et 2. in f. Cod. Theod. de legit. hereditat. Ast simpli-  
cem hanc aditionem, quo nomine cc. ll. hic nouus  
acquirendi hereditatem modus venit, et citra testationem  
arrepto rerum quolibet corpore vel animi destinatione

B

pate-

ibis in officio  
sunt ne aiz  
4 stationes

patefacta (græci interpretes vertunt, οἰαν δήποτε ἐμφασίην καταδολήν) peragi dicitur ibidem, non vniuersalem fuisse, sed priuilegiū instar modo memoratis personis tributum, salua adhuc quoad reliquos cretionis solennitate, non ipsa solum verba legum ostendunt, sed et a doctissimo IAC. GOTHOFREDO *in comment. ad b. l. p. 424. seqq.* pluribus fuit deductum. Qui licet etiam in sequenti æuo cum ceteris personis extraneis fuerit communicatus, id tamen eo demum tempore fuit factum, quo iam oranis cretionis solennitas prorsus erat sublata. Id quod pluribus infra ibimus demonstratiuin.

## §. VII.

*Aditio,* His demum connexionis seruandæ gratia præmis-  
sis, cum iam in sequentibus de aditione hereditatis per-  
fic dicta, quænam fuerit o-  
lim?

alium, prohibita olim, nostris vero moribus permissa,  
sim acturus; ab initio statim monere necesse habeo,  
nomine aditionis hereditariæ mihi, Romanorum tem-  
pora respicienti, hoc loco non nisi eam venire, quæ cre-  
tionem in se comprehendit, et *καὶ ἔξοχην aditio audit in*  
*legibus romanis.* Ut autem eo certius de vera causa, ob-  
quam fieri per alium aditio olim haud potuerit, singulis  
constare queat, non me frustra facturum existimauui, si  
ante omnia in ipsius aditionis, de qua in præsentि agitur,  
naturam ac idolem inuestigarem. Nam cognita hac se-  
mel probe perspectaque, nec vllum porro latere poterit  
ratio, quod nemo hodie per alium adire hereditatem,  
amplius prohibeatur. vid. HUGO DONELLVS *comment.*  
*civ. l. VII. c. 8. p. 299. seqq. et SCHVLTING d. l. p. 643.*

## §. IX.

Tam arctissimum erat olim *cretionis et aditionis* vin-  
culum, ut nec *cretio* sine *aditione* fieri, nec *haec* sine illa  
con-

Cretio et adi-  
tio an sint  
synonima?

concipi posset, sed is qui cernebat hereditatem, eam et adire hoc ipso diceretur. PET. FÄBER *semeſtr. I. II. c. 22. p. 328.* Tantum tamen abeft, ut ideo adſenſum præbeamus HVG. DÖNELLO in comment. de iure civ. I. VII. c. 8. p. 299. aliisque qui volunt, pro ſynonimis cretionis et aditionis voces habitas ſemper fuiffe Romanis, vt potius cum GRAVINA orig. iur. civ. I. II. c. 87. p. 457. BVDDÆO in annotat. ad D. I. ult. de O. I. HOT- TOMANNO quæſt. illuf. qu. 34. et IOSEPHO AVE- RANIO interpr. iur. civ. I. I. c. 12. n. 6. fatendum fit no- bis, cretionem et aditionem, in ſe conſideratas, omni- no a ſe inuicem eſſe iure romano diſtinguendas, cum non niſi in effectu conuererint eadem. Nam quid eſt Cretio, ſine ro- ſpectu ad adi- Cretio, nullo respectu ad aditionem habitu? Nos illa- tionem, quid nihil aliud intelligimus, quam iudicium heredis et delibe- fuerit?

rationem, adire vellet neceſſe. Optime congruit hæc defi- nitio cum ipſa vocis natura, quæ docet, cernere, cui græcum *κένω* responderet, idem eſſe ac decernere ſe he- redem elle velle, et, adſpicioendo defuncti hereditatem, in que vires illius inquirendo, deliberare, an e re ſua ſit il- lam adire. PETR. FÄBER *ſemeſtr. II. 22. p. 326.* et FR. DVARENVS in comment. ad D. tit. de A. vel O. H. c. 3. p. 442. Quo et collineat VLPIANVS, cui cernere eſt verba, ſolemmia ſcilicet, cretionis dicere, atque ita mentem decla- rare. Adeoque antequam is, qui iuſſus fuerat cernere, cerneret, hereditas ei delata haud dici poterat. IAC. PERIZONIVS in not. ad SANGTII Mineruam I. IV. c. 15. et in reſponſione ad LVD. KVSTERI diatrib. de verb. cerno, notis illis ſubiecta. GERH. IO. VOSSIVS in etymolog. ling. lat. voc. cerno, p. 126. vterque vim et uſum verbi accurate delineantes. Adiatio contra, absque cre- ratione considerata, ipſa erat declaratio verbis ſolemmibus fa- Item adiatio- absque cretio- ne confidera- ta?

et a, et qua mediante quis, velle se heredem certo esse, omnibus testabatur. Hinc et, adire hereditatem, idem erat ac ad illam accedere, cui consequens ut suscipiatur. Minus vero hoc pertinet aditus ad hereditatem l. 28. §. 3. D. de liber. et posthum. quippe quo intelligitur facultas eam quandoque obtinendi, et quidem per eum, qui erit unus heres. Licet hunc locum eo referat C V I A C I V S obser-  
vat: l. VII c. 18. vide PETR. FABRVM senefr. l. II. c. 22.  
p. 326. GRAVINAM orig. iur. ciu. l. II. c. 87. p. 457. et SCHVL-  
TINGIVM d. l. p. 643. 644. Non itaque aliter, nisi ut an-  
tecedens et consequens, inter se aditio et creatio differe-  
bant, ceterum et eundem producentes effectum, sua-  
que natura plane inseparabiles, ita ut aditio sine creti-  
o-  
nione, et haec sine illa animo quidem concipi, in ipso vero  
actu separatim institui nullo modo posset. Et hoc de-  
finitio adi-  
tionis, cum  
creti-  
o-  
nione con-  
iuncta.  
mum in sensu cretionem vel aditionem merito nomina-  
mus declarationem solenniter factam, qua quis, cum in he-  
reditatis vires antea fatis inquisisset, et heredem se esse vel-  
te certo constituisse, ipsam iam hereditatem sibi acquirebat.  
Quæ ut adhuc clariora reddantur, iamque intelligent  
omnes, quid per declarationem solenniter factam mihi hic  
veniat, primo de personis ad cernendum habilibus, dein  
etiam de ceteris creationum solennitatibus in sequentibus  
breuiter differere habeo constitutum.

creatione non  
opus habe-  
bant heredes  
fui.  
Inter personas, quæ hereditatem cernere poterant  
atque solebant, haud esse numerandos heredes, qui / si  
vocantur, cum hi nulla plane creatione opus habuerint,  
ex superioribus iam constare puto. Egregie hanc in-  
rem, et de vera similitudine illius causa, IAC. GOTHOFRE-  
DVS in notis ad Cod. Theod. tit. de creatione five bonor. pos-  
sess. p. 330. Juris, inquit, solennitates sunt instar vinculum,  
quibus

quibus soluti esse debent, quos natura et lex vocat ad successionem. Quorsum etiam pertinent illa ROBERTI in rebus indicat. l. I. c. 15. Nulla sane civilis et adscitio affinitatis iura tantum apud nos valent, quantum ingenui sanguinis affectus, et vere ac naturalis proximitatis vincula efficiere solent. adde CORN. VAN BYNKERSHOEK obseruit, rom. l. II. c. 1. et 2. p. 108. Hæc de suis heredibus, absque cretione hereditatem romano iure adeuntibus. Numme vero idem et de ceteris heredibus legitimis, quos lex ad successionem vocabat, tuto poterit affirmari? Nec his cretione opus fuisse olim, l. un. C. Theod. de cretione docet, et pluribus adhuc illustrat SCHVLTING ad PAVLI sentent. IV, 8. 81. p. 411. Potius itaque illis indulserunt leges, (l. c. un. et l. I. C. Theod. de legit. heredit.) qualicunque modo et declaratione, item, quovis tempore adire delatam hereditatem. Excipiebatur tamen iure antiquo legitima hereditas, filiofamilias delata, quam iusu patris cernere, quamvis dubio procul diversa non nihil formula, debebat, et honorum petere possessionem: alioquin hoc non facto, si filius deceperisset, nihil iuriis in ea hereditate pater habebat. l. un. C. Theod. de cretione. et honor. possess. Eius autem rei ratio hæc erat, quia pater in ea hereditate, quæ filio delata, per filium tamen acquisita, pro extraneo habebatur. Non habebatur igitur ratio personæ filii, sed patris, subducta filii persona, l. 9. et 10. C. Theod. de bonis matern. Et ita quidem ad CONSTANTINI usque tempora obseruatum fuit, qui demum maternas successiones, filiis familias delatas, exceptit. Nam in his quoque cretionis et honorum possessionis pretendæ necessitatem CONSTANTINVS remisit, atque voluit ut materna bona, viuisfructus tantum titulo liberis delata, ad patres iure proprietatis pertinenterent, l. I. cod.

Nec ceteri heredes legitimis eadem vice bantur.

Exceptio erat in filiofamilias, cui legitima hereditas delata, fuerat

Remissa dein fuit eidem necessitas cretionis, certis in casibus,

CONSTANTIVS secutus est l. 4. eod. vt et ARCADIVS  
l. 8. b. t. vterque, non solum in maternorum bonorum  
successione, sed et si alia qualiscunque materni generis  
hereditas aut bonorum possessio filiofamilias delata fue-  
rit, cretionis et bonorum possessionis petenda neces-  
sitatem ipsi (adde l. un. C. Theod. de cretione) remittentes,  
excepta tantum hereditate, vel bonorum possessione fi-  
lio familias infantil delata, de quo casu vide infra (§. 16.)  
notata. Conf. IAC. GOTHOFREDVM comment. ad C.  
Theod. tit. de cret. et bonor. possess. p. 331. et SCHVLTING.  
d. l. p. 644.

## §. X.

Cretio perti-  
nebat tantum  
ad extraneos  
heredes,  
  
sub eadem in-  
stitutos,

Supersunt adhuc extranei sive voluntarii heredes,  
quorum intuitu cretionis solennia unice fuisse excogita-  
ta atque inventa dubio caret omni. Diserte VLPIANVS  
fragm. XXII, 25. p. 642. Extraneus heres, si quidem cum cre-  
tione sit heres institutus, cernendo sit heres: si vero sine cre-  
tione, pro berede gerendo. Paret simul inde, non omnes  
heredes extraneos indistincte opus habuisse cretione,  
sed iis tantum, qui sub cretione fuerant instituti, vel cer-  
nendo hereditatem adire, vel repudiare illam, necessi-  
tatem imponere voluisse iura. Nam iis, qui sine cre-  
tione instituti fuerant, liberum adhuc erat, num vel-  
lent hereditatem cernendo, an pro herede gerendo ad-  
ire. PETRVS FABER semestr. II, 22. p. 328. Ve-  
rum vt eo magis iam elucescat, quinam heredum sub  
cretione instituti audiuerint Romanis? haud me peni-  
tebit nominare VLPIANVM fragm. XXII, 27. p. 642. seqq.  
Cretio, inquit, est certorum dierum spatium, quod datur in  
stituto heredi ad deliberandum, utrum expediatur ei, adire  
hereditatem, nec ne. Adiectit hisce VLPIANVS imme-  
diata ipsam formulam, sub qua institutio illa fieri sole-  
bat,

Formula insti-  
tutionis sub  
cretione.

bat, ita sonans: TITIVS HERES ESTO, CERNITO QVE  
IN DIEBVS CENTVM PROXIMIS, QVIBVS SCIERIS,  
POTERIS QVE; NISI ITA CREVERIS, EXHERES ESTO.  
In quorum itaque institutione nec vlla cretionis mentio  
erat facta, nec certorum dierum spatium ad deliberan-  
dum a testatore concessum, hi dicebantur heredes abs-  
que cretione instituti. vid. PET. FABER *femeſtr. II, 22. p. 328.* Addo iam dictis, fuisse quidem hanc, quam ex  
VLPIANO memorauit formulam institutionis quoad ex-  
traneos genuinam: vt tamen hac ipsa testatoribus liber-  
tas haud ablata sit vel addere, vel interdum demere quæ-  
dam eidem. Inde vero varias cretionum species tem-  
poris successu fuisse enatas, in sequentibus vberius ve-  
nit exponendum.

## §. XI.

Cretionem, cuius formulam modo dedimus, in *vulgare* Cratio distin-  
guitur in vul-  
gare et *continuum* Romanis fuisse distinctam, au- gurat in vul-  
tor est VLPIANVS fragm. XXII, 31. p. 644. Cretio autem, gare et con-  
inquit, *vulgaris* dicitur, aut *continua*. *Vulgaris* in qua tinuam.  
adiciuntur *bec verba*, QVIBVS SCIERIS POTERIS QVE.  
*Continua*, in qua non adiciuntur. Verba, quibus scie-  
ris poterisque, id sibi volunt; in vulgari vtile tantum,  
in continua vero omnes dies, hoc est continuos esse nu-  
merandos. GRAVINA orig. iur. cin. II, 87. p. 457. sqq.  
Inde vero obtinuisse videtur, quod tempora cretionis  
heredi ignorantia non current in vulgari, bene tamen  
in continua cretione. De qua insigni inter utramque  
cretionem differentia haec commentatus est VLPIANVS  
fragm. XXII, 32. *Ei*, qui *vulgarem* *cretionem* *babet* *dies illi-*  
*dantur* (*rectius legitur* *tantum*, iuxta SCHULTINGIVM in no-  
tis p. 644.) *computantur*, quibus scit se heredem *institutum*  
*esse*, et potuit cernere. *Ei* vero, qui *continuam* *babet* *cre-*  
*tionem*,

tionem, etiam illi dies computantur, quibus ignorauit se redem institutum: aut sciuist quidem, sed non potuit cernere. conf. IAC. CVIACIVM in notis ad VLPIANVM d. l. §. 32. p. 158. et FR. DVARENVM disputat. anniversar. II, 1

Item in perfe-  
ctam et in-  
perfictam.

41. p. 1074. b. Duabus hisce cretionis speciebus iungenda adhuc erit alia eiusdem diuisio, distinguens crea-  
tionem perfectam ab imperfecta. b. Vtriusque conditionem  
et naturam, quænam fuerit olim, egregie illustrant al-  
lata hanc in rem ab VLPIANO fragm. XXII, 34. p. 645. vbi sub  
imperfecta cretione institutus dicitur heres, omisssis a testa-  
tore verbis, SI NON CREVERIS, EXHERES ESTO, vel quod  
idem fere erat, SI NON CREVERIS, TVNC MÆVIUS HERES  
ESTO. Nam si addita hæc fuerant institutioni, tunc perfe-  
ctam cretionem adesse volebant Romani. Mihi sane harum  
specierum eadem differentia esse videtur, qualem inter  
se constituunt leges perfectæ, quæ iussum et penam in  
se continent, et imperfectæ, nempe nudum legislatoris  
mandatum absqueulla poena, in transgressores statuta,  
exponentes. FR. DVARENVS commentator. ad D. tit. de  
A. vel O. H. c. 2. p. 436. inf. et SCHVLTING in urispr. an-  
te - Iustinian. p. 645.

Tempus cre-  
tioni in ipsis  
legibus præ-  
scriptum, erat  
centum die-  
rum.

Hunc termi-  
num immuta-  
re num licuerit  
testatori?

Ad ipsam autem ut redeam institutionis factæ sub crea-  
tione formulam, centum dierum spatiū, intra quod ab in-  
stituto cernenda sit hereditas, ibi expressum legitur. Quod  
tempus, legale licet a CONSTANTINO HARMENO POLO  
promptuar. iur. ciu. V, 7. p. 211. et SCHVLTINGO d. l. p. 643.  
recte appelletur, maxime cum non cretioni solum,  
sed et bonorum possessioni fuerit præfixum: constat ta-  
men, saepius ab ipso testatore in testamento \* cer-  
tum tempus cretioni perficiendæ heredi pro lubitū fu-  
isse statutum. Nec ita frustra. factum esse arbitror,

eo

eo quod institutio sub cretione facta instar conditionalis institutionis habebatur. **GOTHOFREDVS** in comment. ad Cod. Theod. tit. de cretion. p. 330. Nec sane aliud CICERO, Epistol. ad Attic. 44. l. XIII. mentionem iniiciens cretionis sexaginta diebus facienda, indicare voluit, quam testari hoc ipso de more iam tum frequenti, vi cuius libebat testatori dies cretionis, quot volebat, præscribere in testamento heredi, intra quos hic cerneret, hoc est, decerneret ac constitueret, an heres esse vellet nec ne.

**IO. VOETIVS** commentar. ad D. tit. de iure delib. §. 1. p. 346. et SCHVLTING d. l. p. 643. Minus vero nobis obstat, silere non solum prorsus leges de hoc libero testatorum olim arbitrio in termino cretioni præfigendo, sed et, quod maximum est, toties in illis repeti spatum illud centum dierum, nec aliis, quoties formulam cretionis allegat VLPIANVS, (fragm. XXII, 27. 33. et 34.) ab hoc fieri mentionem. Ut itaque inde certo colligi queat, nullum aliud tempus, quam illud centum dierum, Romanis ad cernendum fuisse concessum. Ast salua res est, et pedibus visa est via. Nam, cum prædictum centum dierum spatum in cernendis hereditatibus esset frequentissimum usitatissimumque; hinc et illius tantum, tanquam præcipui, mentionem fieri voluerunt leges, cum non infrequens harum autoribus sit, a potiori et quod plerumque contingit facere denominationem. Nec sane etiam absconum foret dicere, voluisse quidem leges, dato hoc termino centum dierum, impedire, ne ultra illum cretiones protraherentur, non æque prohibere, quo minus quis intra centum dies cerneret hereditatem. Simile quid huic deprehendere licet in l. 2. §. vlt. D. de suis et legit. hered. vbi centum dies instar numeri certi pro incerto ab VLPIANO

C

PIANO

**PIANO** allegantur. Ceterum, ne vlo commodo ac incremento, hereditati a morte demum testatoris accedente, ob moram in cernendo adhibitam carere necesse haberet eiusmodi heres, sub cretione institutus, expresse l. 28. §. 4. *D. de stipulat. serv.* constitutum legitur, vt tempus, quo demum adiit heres, ad orbitum testatoris retrorahatur, et ita de ipso fingatur, ac si statim mortuo testatore hereditatem adiisset. vid. *FR. DVARENVM ad D. tit. de A. vel O. H. c. 6. p. 455.*

(\*) Incertum tempus, v. g. errito cum volueris, adiectum institutioni sub cretione factæ, illam vitabat, dissentiente in hoc licet *CVIACIO* obseruat. l. IX. c. 29. p. 201. cui eiusmodi cretio libera dicitur, sed ex ipsis legibus probare eam haud ipsi placet.

### §. XIII.

**Formula**, sub qua ipsa cretio celebrabatur. Distinguenda venit a memorata iam (§. X.) formula institutionis, factæ cum cretione, illa, sub qua olim ipsa cretio fieri solebat, et ab *VLPIANO* fragm. XXII, 28. p. 643. seq. talis fuisse memoratur. *CVM ME MÆVIVS HEREDEM INSTITVERIT, EAM HEREDITATEM ADEO CERNO QYE.* Sunt hæc verba illa solennia, quæ dicere heres institutus debebat, (*hinc, cretionem dicere, l. 5. C. Theod. de bonis matern.*) et de quorum fide vel ideo nemini iure dubitare licebit, cum quam optime hæc respondeant dictæ formulæ institutionis. Optandum potius foret, vt parem *VLPIANVS* diligentiam in notandis ceteris cretionis solennitatibus adhibuisset, quarum pleræque tamen vel plane a nobis iam ignorantur, vel ab aliis notatae dubia saltim adhuc nituntur autoritate. Ritus, a cernenibus he- Interim tamen, silente de hoc licet plane *VLPIANO*, reditates ob- mihi pro certo habetur, certos in cretionibus olim ad- ferundi, erant habitos fuisse ritus, hisque iure adnumerari posse pra- warii.

ter testium præsentiam, in cratione, CICERONE epist.  
ad Attic. 44. lib. XIII. teste, omnino necessariam, tum  
digitorum percussionem, qua dominium acquirebatur,  
tum etiam saltationem, commune lætitiae signum. De  
quo forsan dubitanti opponemus testimonium hac in re  
satis idoneum atque graue CICERONIS offic. III, 19. p.  
509. vbi: Itaque si vir bonus habeat banc vim, ut, si digitis  
concrepuerit, possit in locupletium testamenta nomen eius ir-  
repere, bac vi non utatur, ne si exploratum quidem habebat,  
id omnino neminem unquam suspicaturum. At si dares banc  
vim M. Crasso, ut digitorum percussione beres posset scriptus  
esse, in foro, mibi crede, saltaret. Cui adhuc iungendum  
illud AMBROSII officior. III, 2. Non ego, inquit, in here-  
ditatibus adeundis digitorum percussionses et nudi successoris  
saltationes notabo, nam hec etiam vulgo notabilia. Haud  
me quidem fugit, in diuersa hic abire doctissimum ICtum,  
SCHVLTINGIUM, in iurisprudentia ante - Iustin. p. 643.  
seq. afferentem, minime voluisse CICERONEM d. l. ri-  
tus, in cernendis hereditatibus inter Romanos olim so-  
lennes, tradere, sed perstringere tantum malas artes,  
quibus Crassus ceterique tum temporis auarissimi ho-  
mines usi fuissent, quo ab aliis heredes scriberentur.  
Eiusmodi malis artibus vero et percussionem digitorum at-  
que saltationem a celeberrimo viro video adnumerari.  
Ast, idem de vtroque hoc ritu sensisse CICERONEM,  
vix crederem, saltim ex ipsius verbis, quæ allegauit, tale  
quid haud colligere licet. Hinc potius mihi CICERO,  
saluo tamen aliorum rectius sentientium iudicio, vide-  
tur notasse tantum effrenatam quorundam ipsius ætate,  
et in his etiam Crassi, de quo loquitur ibidem, in he-  
reditatibus locupletium sibi acquirendis cupiditatem, non  
æque reprobasse illa crationis symbola, saltationem in-

Schultingio;  
in hoc dissen-  
tienti, respon-  
detur.

alibet nullus  
negligitur  
ut res cogit  
sit uero

180 mobilius 211  
Institutum 212

telligo digitorumque percussionem, et quibus, cum nihil mali in se contineant, vti etiam viro bono non indignum eo tempore habebatur. Imo de frequenti horum rituum apud Romanos in adeundis hereditatibus vsu vel inde constare poterit, dum videmus eosdem ab AMBROSIO d. l. iis, quæ vulgo sunt notabilia, accenseri. Nec forte adhuc dubitandum erit cum DN. SCHULTINGIO, num AMBROSIUS afferendo hæc ipse tale quid collegerit potius fieri, quam suo tempore viderit, cum posterius omnino sit præsumendum. Sed tempore admonitus filum iam abrumpo, reseruans ea quæ dicenda adhuc forent opportunioccasiōnē. confer IAC. CVIACIVM obseruat. iur. rom. lib. VII. c. 18. p. 150. seq. ANT. DADINVM ALTESERRAM de fictionibus iuris, III, 2. et EDMUND. MERILLIVM in obseruat. IV, 34.

#### §. XIV.

Quæ in superioribus de cretione eiusque solennitatibus fuerunt allata eo potissimum pertinent, vt, cognitis his perspectisque, faciliori demum negotio ad quæstionem, et quæ utramque in præsenti dissertatione facit paginam: *An nempe aditio ista solennis per alium fieri potuerit?* responderi queat. In qua eruenda hac via mihi incedendum esse videtur, vt, enumeratis primum singulis et notatu dignissimis casibus, in quibus aditio per alium omnino excludebatur olim, rationes dein, ex antiquissimo Romanorum iure depromptas, illis adiungam.

Num aditio  
solennis per  
alium fieri po-  
tuerit?

Et quidem per  
procuratorem?

§. XV.

Num per procuratorem adire hereditatem licet olim? id primo loco erit inuestigandum. Affirmandum hoc esse vel ea ex ratione videtur, quod, cum possessionem per procuratorem occupandi potestatem

Dio-

Diocletianus et Maximianus, Cæsares, l. 8. C. de acquir.  
et retin. possess. ob communem utilitatem æque ac ne-  
cessitatem, cui multum tribui soler, omnibus concesserint,  
(nam antea per liberam personam, qualis et procurator  
erat, possessionem ciuiliter acquirendi nemini permitte-  
batur, vti refert PAVLVS sentent. V, II, 2. et §. 5. I. per  
quas personas cuique adquir. adde SCHVLTINGEN in  
not. ad PAVLVM d. l. p. 434.) non possit non idem  
quoad hereditatis aditionem, in qua possessio rerum he-  
reditariarum acquiritur, obtinere. Verum, licet etiam  
aditionem modis acquirendi possessionem recte accen-  
seas: cretio tamen, quæ dein accessit ad illam, peculia-  
rem prorsus aditioni addidit formam, vt vi huiusdemum  
omnis tertius, ideoque et procurator, ab aditione siue  
cretione in posterum omnino videretur excludendus.  
De quo etiam ne quis forte adhuc dubitare possit, liceat  
mihi iam nominare l. go. pr. D. de acquir. heredit. in qua  
diserte dicitur, per procuratorem hereditatem adiri non  
posse. Hinc et Cæsaris procurator, vt nomine eius adi-  
re hereditates posset, speciali ad id priuilegio munien-  
dus erat, l. I. §. vlt. D. de offic. procur. cæsar. firmo satis ar-  
gumento, quoad ceteros procuratores non idem obti-  
nuisse, quum alias tali priuilegio ille non opus habuisset.  
Imo. si vulgo licuisset hereditatem per alium adire, cur  
senatores legationes liberas in longinquas regiones ad-  
eundarum hereditatum causa impetrassen, probe ob-  
seruante id HOTTONANNO queſt. illuſtr. qu. 34. p. 233.  
seq. Nam si potuissent aliser adire hereditates, nulla  
causa fuisset concedendi his legationes ad hereditatem  
adeundam. conf. (†) FR. DVARENVM in comment. ad D.  
tit. de A. vel O. H. c. 4. p. 450. et in diffusat. anniversar. II,  
27. p. 1070. IAC. CVIACIVM obſeru. iur. I, 34. p. 17, IOSEPH.

Negatur hoc.

AVERANIVM interpretat. iuris I, 12, II, et 12. p. 150. et 151.  
omnes eandem nobiscum sententiam tuentes.

(†) Afferit quidem DVARENVS cc. II. posse per procurato-  
rem adiri hereditatem: verum intelligendum hoc esse de-  
ditione hereditatis per alium quæ sit pro herede geren-  
do, non de ea quæ cernendo olim perficiebatur, ea quæ  
sequuntur ibidem probant, simulque nos docent, frustra  
ob id DVARENVM notari a GRAVINA orig. iur. ciu. II,  
87. p. 460.

### S. XVI.

A cretione ex-  
cludebantur  
etiam iure ci-  
vili tum ipsi  
infantes,

tum et horum  
nomine tuto-  
res,

Miseram omnino iure ciuili romano fuisse condi-  
tionem infantum sub cretione institutorum constat.  
Nam quo minus ipsi infantes adirent hereditatem, hæc  
potissimum suberat causa, quod naturali facultate ver-  
ba cretionis pronunciandi destituebantur. Nec tutori,  
tanquam tertio, pupilli infantis nomine additionem ce-  
lebrare integrum erat legibus romanis, quippe quibus  
et ipsi parentes, ne pro infantibus liberis utiliter adirent,  
ex eodem fundamento excludebantur. 1.4. ets. C. de iur. de-  
lib. vide I.A.C. GOTHOFREDVM in comment. ad C. Theod.  
tit. de cretione p. 330. et F.R. RAGVELLVUM in comment.  
ad decisiones Iustinian. ad l. vlt. S. 3. C. de curat.  
furios. p. 382. Quod autem cum durum nimis esse  
videretur Prætoribus; statutum ab his fuit l. 7. S. I. D.  
de B. P. vt liceret in posterum parentibus liberorum,  
et tutoribus pupillorum nomine petere bonorum pos-  
sessionem, si forte contingaret, vtrosque in infantia ad-  
huc constitutos institui sub cretione. adde l. II. D. de autor.  
et consensu tutor. et l. 3. C. qui admitt. ad B.P. confer hanc  
in rem etiam I.A.C. CVIACIVM obseru. iuris rom. I, 34. p.  
17. et PETR. FABRYM semestr. II. 22, p. 328. Sed cum  
vtrum.

vtrumque hoc iure demum prætorio fuerit introductum; salua adhuc manet thesis, qua asservare volui, infantem nullo modo iure civili romano stricto vel ipsum, vel per tutorem potuisse sibi acquirere hereditatem sub creatione delatam. *I.5.C. de iure delib.* add. IOSEPH. AVERANIVM d. I., 12, 29, sequ. p. 157, et GRAVINAM orig. iur. ciu. II, 87. p. 460.

## §. XVII.

Melior fortuna, quam infantibus, hac in re apud Romanos data fuerat illis, qui adhuc quidem impubes, infantia tamen maiores habebantur. Licet enim horum nomine hereditatem, eo quo diximus modo de latam, tutoribus adire æque interdictum fuisset *I.c. 5.C. de iure delib.* pupilli tamen hoc casu prohiberi haud poterant, ne ipsi, interponentes tutorum auctoritatem, adirent. Quæ sane eo magis necessaria erat, quo magis constat pupillos in rebus, quæ iuris et facti sunt, nihil rite peragere, et hinc multo minus aliis se perfecte obligare valuisse. *I.vlt. D. de iuris et facti ignor.* Ut itaque hic obueniens defectus sicut in omnibus eius generis negotiis, ita et potissimum in hereditatis aditione, quippe maximi certe momenti causa, autoritate tutoris merito videretur supplendus, id ipsum Iustiniano fieri adhuc iubente *pr. et §. 1. I. de autor. tutor. conf. I A.C. CVIACIVM obseru.* *I. 34. p. 17. et in comment. ad African. tractat. IV. p. 427. FR. RAGVELLV M d. I. p. 381. MARIA M LYCLAMA NYHOLD membran. tom. II. I.VII. eleg. 35. p. 383. seqq. SCHVLTING in not. ad VLPIANI fragm. XI, 22, p. 602, n. 65, 67. et IO. VOETIVM in comment. ad D. tit. de A. del O. H. §. 9. p. 366.*

## §. XIX.

Notatum de feminis romanis intēhīrus ab A. GELLI O *Idem obfir-*  
*not. alt. V. 13. et CICERONE in orat. pro Flacco c. 84. p. 515. has in bat in femi-*  
*per-*

nis, in perpetua tutela, ita ut non nisi per conventionem in matrimonium ab hac potuerint liberari, finito autem matrimonio necesse omnino habuerint recidere in eandem. Rationem, quod nunquam ciuiliter apud Romanos feminæ pubescent, sed perpetua in tutorum potestate relinquenter, in infirmitate consilij, qua haec laborare Romanis existimabantur, ponit idem CICERO in orat. pro Murena cap. 27. p. 479. Minus tamen ob id existimandum est, licuisse seminarum tutoribus ipsarum loco adire hereditatem sub solenni cretioni formula relietam; quin potius illis idem quod aliis tutoribus obstatet, hoc beneficio tantum concessio feminis, ut celebrare aditionem volentes haec id agerent tutorum autoritate, nec in reliquis que fuscipienda forent negotiis, etiam priuatis, ipsis negligenda, testante id CATO, apud LIVIVM XXXIV, 2. et 3. p. 429. (confer eundem XXXIX, 19. p. 523.) et VLPIANO in fragm. XI, 22. p. 602.

Ex eo tamen quod autoritatem suam tantum interposuerint tutores seminarum puberum, minus vero ipsa harum negotia, uti pupillorum, gesserint, vide VLPIANVM fragm. II, 25. p. 603. satis cognoscere licet, fuisse quidem mulieres romanæ sub tutela quadam, in multis tamen a pupillari tutela diuersa, et maiorem cum curate laquam illa conuenientiam ostendente. Mihi iam probable sufficiat, non potuisse seminarum tutores hereditates ipsarum nomine adire, sed in adeundo tantum auctoritate sua illis adesse hos fuisse legibus obstrictos.

### §. XIX.

Patri pro filio, familiæ certiore vel adire non licet, Ne pater pro filio adiret, sed hic ipse potius, expers licet consilii, delatam sibi sub cretione hereditatem extra-neam (de legitima vide supra §. 2.) cerneret, interueniente tamen auctoritate et iussu patris, leges voluerunt romanæ. I. 6. D. de A. vel O. H. adde PAVLVM sentent. III,

4, 114

*IV. ii. p. 349. ibique SCHVLTING.* Qui iussus ex parte patris eo minus omittendus videbatur, cum hic filio *instar Magistratus et natura dominus* esset, vti eleganter exprimit CAROL. ANNIE. FABROTTVS Exerc. X. P. Filio tamen cernenti ut iussus patris accederet, ne-  
cesser erat.

120. Cui adhuc iungendus FR. DVARENVS in comment. ad D. tit. de A. vel O. H. c. 4. p. 444. it. IAC. GO-  
THOFREDVS in commentar. ad C. Theod. tit. de mater-  
nis bonis. l. 5. p. 657. Accedebat, quod romano iure pa-  
ter cum filio pro eadem persona haberetur, ipsaque hereditas per filium ad patrem certo esset peruenientia,  
vt itaque et ex hac dupli causa autoritas paterna ne-  
gotio huic necessario interponenda esse merito existi-  
maretur. Optime hæc possunt illustrari ex l. 5. C. Theod.  
de bonis matern. vbi de filio, qui ab avo materno heres  
fuit institutus. Verba legis citata, et quæ huic pertinent,  
hæc sunt: *Si vero filius familias ab avo suo materno heres*  
*ostenditur institutus, patre cernere iuhente, filioque cernen-*  
*te, persona filii media hereditas peruenit ad patrem.* Scilicet,  
vt patri hoc casu bona materni generis per filium  
acquirerentur, et bonis eius commiserentur, haud sat-  
tis erat ei delatam esse hereditatem, nisi et pater, cum  
id sciret, filio iussisset, vt eam cerneret, hicque iussum  
paternum fuisse exsecutus. Finge itaque, iussisse pa-  
trem vt filius cerneret hereditatem avi materni, et ante-  
quam id faceret patrem fuisse mortuum, vel filium  
ab eo emancipatum, vel denique propriæ potestatis hunc  
effectum antequam diceret cretionem? Sane dicendum  
erit hoc casu bona illa ad filium pertinere, ita vt proprio  
arbitrio ea sibi acquirere iam non amplius prohiberi  
queat, cum non antea in corpus et censum patrimonii  
versa habenda sint per cit. l. 5. quam actus ille legitimus  
fuerit perfectus. Hinc et necesse esse videbatur vt pa-

D tris

tris, cui revera delata hereditas, iussus, et filii, quo mediante ad patrem ista transit, executio hic coniungerentur, solo quippe patris imperio ad bonorum horum acquisitionem haud sufficiente. Vide GOTHOFREDVM in not. ad Cod. Theod. tit. de bonis matern. p. 659. et AVERANIVM d. l. 1, 12, 55. & 56. p. 167. Imo potuisse filium familias in casu, quo in aditionem consentire nollebat parentis, adire, et hoc ipso sibi hereditatem acquirere, probat H. DONELLVS comment. de I. C. VII, 6. p. 296. 297.

## §. XX.

Seruus heres  
institutus  
ipse, iubente  
samen domi-  
no, cernere  
debeat.

Idem vero, quod in filios familias obseruatum esse modo audiuimus, ut et in seruo simili in casu obtineret, legibus romanis fuit constitutum. Vide PAULVM sentent. III, 4. II, ibique SCHVLTINGIVM p. 349. seqq. it. l. 6. D. de A. vel O. H. ad eamque BRUNNEMANNVM p. 215. Hinc licet serui institutio tantum ex domini persona, quæ sola inspicienda erat, valeret, hereditas etiam seruo delata eidem statim acquireretur apud Romanos, l. 31. D. de hered. instit. et l. 82. §. vlt. D. de legati. 2. adeo ut ne momento quidem temporis in seruo consisteret, l. 79. D. de A. vel O. H. minus tamen ob id dominus hereditatem seruo relictam adeundi gaudebat potestate, sed ipse seruus, qui ob id etiam semper heres manebat a pro tali habebatur, iubente domino, cui ignorantia et inuitu per seruum alias acquirebatur, hoc perficere necesse habebat. SCHVLTING in not. ad CAII Institut. I, 3. 1. p. 30. et II, 1, 2. p. 88. seq. it. ad Collat. Mosaic. et Roman. LL. V, II. p. 752. seq. tumet ad VLPIANI fragm. XIX, 18. p. 626. et XXII, 1. seq. p. 633. 637. et CVIACIVS comment. ad African. tractat. VI. p. 481. Inde factum videtur ut seruum vel tergiuersantem, vel prorsus renuentem adire ad id cogendum esse iussit l. I. §. 3. D. si quis omis-  
sione.

caus. tēpam. cum nec quicquam alias, et sine facto serui  
adeuntis profuturum sit domini iussum ad acquirendam  
huius hereditatem l. 62. §. 1. D. de A. vel O. H. adde FR.  
HOTTO MANNVM quest. illustr. qu. 41. p. 317. et 319. DVA-  
RENVM d. l. p. 443. DONELLVM comment. de iur. ciu.  
VII, 6. p. 296. PETR. FABRVM femestr. II, 22. p. 326.  
ANT. FABRVM iurispr. papinian. scientia ad tit. I, de leg.  
Fus. Canin. toll. p. 284. HVBERVM prelect. J. C. P. I. tit.  
XIV. §. 1. et tit. XIX. §. 1. et AVERANIM interpret. iur.  
rom. I, 12. 33. seqq. p. 157. seqg. et n. 56. p. 167.

### §. XXI.

Nec diuerso sed eodem prorsus iure cum modo  
enarratis personis vti curatorem voluerunt Romani, quip-  
pe nullo modo permittentes, vt per illum minori he-  
reditas acquireretur. Evidem scio, minori habenti  
curatorem huius auctoritate cernere hereditatem iure  
romano incubuisse: Ast, ne aliter hoc fieret, indeoles  
ac natura curatelæ romanae flagitabat, in eo potissimum  
consistens, vt curatores iis quibus dati fuerant quois  
in negotio, ex quo damnum ipsis metuendum, perfici-  
endo autoritate sua auxilioque adessent, ne forte ob in-  
firmum ac imbecille consilium ab aliis non satis cauti de-  
ciperentur. l. 1. D. de minor. Inde nec hodie, sublata li-  
cet iam creationis solennitate, vel minori, vel prodigo  
absque curatore hereditatem valide adire licebit, sed, vt  
ad id prius huius consensum expectet, necesse erit utri-  
que. Nam cum certum sit heredem simpliciter ade-  
undo hereditatem creditoribus hereditariis obligari;  
inde simul patet, haud esse permittendum minoribus  
arque prodigis vt pro libitu et proprio arbitrio aedant  
hereditates, ne forte ea qua fieri par erat diligentia in  
vires hereditarias haud inquirentes maximum hoc ipso

Minoribus et  
prodigis in  
cernenda he-  
reditate ne-  
cessaria erat  
curatorum au-  
toritas. Be-  
cur?

D 2

incur-

incurrant detrimentum. A quo autem licet fatis tutus existimandus sit minor ob beneficium restitutionis in integrum, ipsi legibus concessum: magis tamen minori proficuum merito habetur, ut rem suam ab initio sartam tectamque seruet, quam post vulneratam causam demum remedium querat. HUBERVS in prelect. ad tit. de A. I. O. H. §. 1. et AVERANIVS d. 1, 1, 12, 29, 30, et 31. p. 157.

## §. XXII.

Quid in furioso, sub cretione instituto, omnino obtinuerit? Paucis adhuc explicandum venit, quid tum demum obtainere debuerit iure ciuili stricto, si forte contigerit furiosum sub cretione ab extraneo fuisse institutum? Nam quo minus ipse furiosus adire posset furor obstabat, quippe quo inhabilis iste ad quævis negotia vtiliter peragenda reddebaratur. Nec curatori furiosi, huius nomine aditionem celebrare, fas erat, cum nemo tertius, qualis et curator habebatur, ad eam foret admittendus. Evidem veterum ICtorum haud pauci hoc casu bonorum possessionem a furioso, vel eius curatore petendam esse existimabant: quibus tamen aperte in hoc contradicebant alii, afferentes standum esse iure veteri, secundum quod nulla potius pronuncianda esset eiusmodi institutio furiosi sub cretione facta. Quem iuris auctorum dissensum hac in re vt tolleret, simulque antiquissimi juris rigorem mitigaret IUSTINIANVS, Cæsar; hinc motus idem constituisse legitur L. vlt. §. 3. C. de curat. furios. vt in posterum curator furiosi, cum huic vtilem esse cognouerit successionem ab extraneo delatam, eam bonorum possessionem, quæ antea ex decreto dabatur, argosceret, et ad similitudinem bonorum possessionis haberet. Vnde curator furiosi hereditatem ad interim administrare quidem cepit, ita tamen vt liberum adhuc esset furiosi

furioso iam resipiscenti deliberare secum, an e re sua sit adire eam vel repudiare. Quo vero in ipso furore decedente hereditas pro non adquisita habebatur, nec ad furiosi heredes, sed ad substitutos eius, vel ad testatoris heredes ab intestato erat transferenda. **GOTHOTREDVS** in notis ad h. l. **F.R. RAGVELLV** d. l. p. 381.

et omnino **HUBERV** ad tit. de A. vel O. H. §. 4. Qua It. quoad mu-  
occasione et hoc disquiri adhuc forte posset; num eius-  
dem legis beneficio **IUSTINIANVS** mutos et surdos simul,  
item mutos tantum, qui iure ciuili stricto heredes cum  
cretione institui haud poterant, simili in casu participes  
esse voluerit? Mihi vel hac ex ratione illud affirmare  
placet, cum alias hi æque ac furiosi delatae successionis  
commodo carere necesse habuissent, quippe natura in-  
habiles ad verba cretionis pronuncianda, fine quibus ta-  
men hereditatem adire nemini iure ciuili stricto permit-  
tebatur. vide **PAVLVM** sentent. III, 4, 11. ibique **SCHVLTING**  
p. 350, et III. **THOMASIVM** in dissert. de sensu legis decem-  
vir. testam. §. 51. seq. Non idem de prodigiis dicendum Prodigii olim  
erit, licet inter hos et furiosos alias in plerisque iuris cernere non  
partibus nullam differentiam ius romanum admittat. prohibeban-  
Præterquam enim quod in illis eiusmodi vitium natura- tur.  
le, quo forte cernere prohiberentur, non occurrat, et  
expressa hanc in rem habetur l. s. D. de A. vel O. H. in cu-  
ius §. 1. prodigus ipse adire, curatoris tamen auctoritate  
ad id accedente, iubetur. confer **VOETIVM** ad D. tit.  
de A. vel O. H. §. 9. p. 366.

Prodigi olim  
cernere non  
prohibeban-  
tur.

### §. XXIII.

Sunt hi præcipui quos modo proposituimus ca- Hereditatis a-  
sus, hunc in finem a nobis allati, ut inde probatum ire- dirio cur per  
mus, haud potuisse olim hereditatis additionem per alium alium celebra-  
celebrari. **HOTTO MANNVS** responson. amicabil. II, 34. ri olim non  
potuerit?

D 3

Quo

Ratio I.

Quo facto denum necesse erit ut in ipsis legum rationes, ex quibus ab aditione tertius exclusus fuerit, inquiramus. Huc referre et primo loco iam nominare placet illud vulgatum, sed in ipsis legibus romanis satis fundatum axioma, nempe facti esse aditionem. HOTTO MANNVS in quest. illustr. qu. 41. p. 382. Nam intelligenda sunt hæc nonnisi de ipso heredis facto, quod eo minus olim abesse poterat ab aditione, quo arciori nexu hæc cum persona heredis coniuncta erat, ita ut licet hereditas in ipso aditionis momento ab herede ad aliam personam certo esset transitura: l. 79. D. de A. vel O. H. factum tamen heredis instituti (qui nunquam talis esse desinebat, cum hereditas ossibus adeuntis inhæreret, argum. l. 3. et 8. D. de vulg. et pupill. subdit.) in adeunda hereditate omnino requireretur. HOTTO MANNVS in quest. illustr. qu. 41. p. 317. seqq. Et ex eadem causa feminæ, pupilli et minores instituti cum cretione ut ipsi adirent legibus romanis compellebantur, tutoribus ac curatoribus eorum ab aditionis negotio omnino exclusis. Nec obstat, quod ipsa hereditas in iure constat per l. 1. D. de D. R. nam quid impedit, quo minus hoc ius facto quodam, et quod aditione fieri solet, acquiri possit?

Ratio II.

Aditionem nonnisi ex certa scientia fieri olim potuisse, ex ipsis legibus romanis probe ostendit HUBERVS tum in praelect. ad I. tit. de heredum qualit. et differ. §. 16. tum etiam in praelect. ad D. tit. de A. vel O. H. §. 6. indeque simul iure suo deduxit ibidem atque probauit necessitatem, quæ incubuisse olim heredi hereditatem in propria persona, non per alium adeundi. Nam cum certum sit in totum omnia, quæ animi destinatione a-

genda

## §. XXIV.

genda sunt, nonnisi vera et certa scientia perfici posse; et adhuc magis necesse videbatur esse, ut heres adire voluntens certo sciret, vtrum hereditas pure an vero sub conditione, vtrum ab intestato an ex testamento, et hic rursum cum creatione, an sine hac delata fuisset? *I. 19.*  
*et 93. D. d A. vel O. H.* Vnde et in *vulgari creatione* heredes sub hac formula instituti leguntur: **INTRA CENTVM  
DIES; QVIBVS SCIERIS, POTVERISQUE, CERT  
NITO.** Et ex eadem causa **PAVLVS sentent. V, 12, 9. in  
f. p. 480.** voluntatem heredis instituti in adeundis vel repudiandis hereditatibus necessario explorandam esse ait, idem adhuc affirmante **ICto I, 2. D. de offic. procur. casar. vel  
rational.** Quomodo autem fieri poterit, ut quis voluntatem suam declaret, si conditionem suam ignorat, ideoque et animum heredis induere nequit. Ut itaque mirum esse nemini debeat dum videt, infantes, furiosos aliasque iis similes personas, quippe et scientia et intelligendi quid facultate plane destitutos, neque ob id animum heredis induere ac præferre valentes, ab omni aditione, siue hæc fieret cernendo, siue pro herede gerendo legibus arceri. Inde etiam, quod certitudo in aditione, tanquam actu legitimo, omnino requireretur, factum fuisse existimamus, quod prohibiti olim fuerint adire hereditatem liberi eius qui in captiuitate tenebatur. De quo vide pluribus **ELB. LEONINVM in emendat. siue obseruat. II,  
6, 7. et seqq. FRANC. DVARENVM in comment. ad D. tit.  
de A. vel O. H. c. 2. p. 437. HVGON. DONELLVM VH, 6.  
in f. et c. 9. p. 302. seqq. it. IIX, 11. in f. F. R. CONNANVM  
in comment. iur. ciu. III, 7, 6. p. 214. et IO. VOETIVM  
in comment. ad D. ad tit. de A. vel O. H. §. 18. p. 370.**

### §. XXV.

Nouam iam rationem suppeditare videtur **ICto** *Ratio III.*

*I. 8.*

*l. 8. pr. D. de A. vel O. H. More, inquit, nostra ciuitatis (h. e. iure ciuili l. 43. D. de obligat.) neque pupillus, neque pupilla sine tutoris autoritate obligari possunt. Optime haec illustrari possunt exemplo pupilli, qui sine autoritate tutoris hereditatem adire haud valebat, quoniam se haud poterat obligare. Hinc regula: Quicunque se obligare non potest, ille nec hereditatem potest adire. Ex quo tamen minime sequitur, tutori nomine pupilli aditionem peragere necesse ob id fuisse, nam quemam obstiterint ipsi in aditionis negotio pupilli loco suscipiendo peragendoque, ex iis quae supra hanc in rem fuerunt allata factis intelligere cuique licebit. Interim tamen cum regula modo proposita, quod ipsi fateri necesse habemus, non omnes in superioribus enarratos casus exhausti, iam de alia et magis stringente ratione nos solitos esse oportebit, nec aliunde quam ex ipsis antiquitatibus romanis petenda.*

### §. XXVI.

*Ratio IV. Eam fuisse constat actuum legitimorum iure romano conditionem, ut celebraturi illos praesentes omnino esse debuerint. l. 123. de R. J. Iam cum certum sit expeditumque, actibus legitimis aditionem sive cretionem annumeratam fuisse; nec difficile iam erit iudicare de causa ob quam, vt per alium adiretur hereditas, noluerunt leges romanæ, FR. RAGVELLVS in comment. ad decis. Justin. ad l. vlt. §. 3. C. de curat. furios. p. 380. IAC. CVIACIVS obseru. iur. rom. XV, 16. p. 363. seq. PET. FABER semestr. II, 22. p. 347. et IOSEPH. AVERNIVS interpret. iuris I, 12, 7. p. 148. seq. Solus fere est M. LYCKLAMA A NYHOLT, qui membran. l. III, eclog. XII. rationem hanc ab actibus legitimis desumptam reiicit, aliamque in eius locum substituit, peti-*

tam

tam ex l. 54. D. ac acquir. rer. dom. sed utrumque frustra fieri ab illo quis non videt? Offert se nobis hic amplissimus de actibus legitimis dicendi campus, in quo etiam excurrere paululum vel ideo necesse erit, cum diligens eorum contemplatio ad id nobis prospicit, ut feliciori demum successu illam quæstionem, in qua quæritur: utrum hereditatis aditio sit actus legitimus, an vero leges actionis? eruere queamus. Nam, totius controversiaz decisionem a sufficienti actuum legitimorum et legis actionum cognitione dependere, ex sequentibus omnibus erit manifestum, ubi operam in primis dabimus, ut tam legis actionum quam actuum legitimorum naturam ac proprietatem probe explicemus.

## §. XXVII.

Duplicis erant generis apud Romanos legis actiones, quippe modo in significatione latiori, modo angustiori ab iisdem acceptæ. Nam sicuti verba *ro lege agere*, si generaliter sumuntur, quam latissime patent: ita et Romani istis comprehendebant non solum omnes actiones, quibus ius nostrum persequimur, (quo sensu *lege agere* idem est ac ex iure legibus constituto agere) sed et ceteros actus, qui in iudiciorum ordine interuenire solent. BARNAB. BRISSONIUS select. ex iur. tin. antiquit. IV. 2. GVIL. BVDDÆVS annotat. in D. ad l. 4, de adopt. p. 194, et M. LYCKLAMA A NYHOLT d. l. lib. IV. eclog. 13. et 14. Ut itaque hac ratione omnes actiones, rei, lictores, apparitores, ceterique omnes, quorum opera in iudiciis versabatur, *lege agere* dicerentur. Imo non tantum in iudiciis legi agebatur, sed et extra iudicium legi agi poterat, intellige in negotiis iurisdictionis voluntariae, ut in manumissione vindicta, aliisque quæ a iudiciis multum differebant, probe hoc obseruantur.

E

te

An hereditatis  
aditio fuerit  
actus legit-  
imus, an vero  
legis actionis?

Legis actiones  
romano iure  
alii sunt in  
sensu latiori,

legalia iuris  
busklausuren  
in iure null  
matters zählt

aliz in sensu  
angustiori.

te SCHVLTINGIO in notis ad CAIUS institut. II, I, p. 85. sq.  
it, ad VLPIANI fragm. II, 24. et 27. p. 602, 603. Sed fu-  
isse adhuc Romanis aliam legis actionum speciem, et a  
priori iamque allata diuersam, non obscure CAIUS et  
VLPIANVS dd. II. innuunt, et multo melius adhuc ex-  
primit l. 2. §. 6. D. de O. I. vbi TRIBONIANVS legitimas  
actiones, id est legis actiones, describit, quod fuerint  
actiones ex legibus et quidem XII. tabularum composite, qui-  
bus inter se homines disceptarunt, et quas actiones, nepo-  
pulus prout vellet constitueret, certas solennesque esse vo-  
luerint JCTI. His verbis adhuc iungenda erit sententia  
IAC. RÆVARDI in commentar. ad tit. D. de R. I. ad l. 123.  
p. 371. et CAR. SIGONII de iure antiquo ciuium rom-  
etc. I, 7. p. 361. quibus lege agere nihil aliud est quam ex  
lege et secundum leges agere, legibus interrogare, atque ex  
iure agere, ac id quod per leges constitutum in iure per-  
sequi. Vnde stricte sumptas legis actiones recte iam  
definimus, quod fuerint solennitates, consistentes ex cer-  
tis ritibus verborumque formulis ex lege descendantibus.  
vide de his IAC. GOTHOFREDVM in comment. ad C.  
Tb. tom. I. p. 94. et tom. II. p. 600. et 612. GRAVI-  
NAM d. l. I, 33. p. 51. it. II, 80. p. 441. seqq. et SI-  
GONIVM d. l. I, 9. II. 13. et seq.

### §. XXVIII.

Aetuum legi-  
timorum apud  
Romanos in-  
doles et natu-  
ra. Transire placet ad actus, quos Romani legitimos  
nominabant. Proprium ipsis erat, vt 1) fierent solen-  
doles et natu- niter, 2) nec diem nec conditionem sua natura admit-  
terent 3) uno actu nec 4) iterato fierent. Denique, (5)  
et quod in primis meditationibus nostris lucem accendit,  
vt requirerent praesentiam personarum. BAR. BRIS-  
SONIVS antiquit. d. l. III, 20. p. 76. IAC. RÆVARDVS de  
autorit. prudent. II, p. 952. seqq. ELBERTVS LEONI-  
NVS

NVS in emendation. etc. II, 17, 1.3. et 6. seqq. et GRAVINA

d. l. II, 80. p. 442. seqq. Quæ omnia et in legis actionibus speciatim acceptis obseruata fuisse cum certum omnino sit, sane dicendum erit, frustra actus legitimos ab illis distingui, quippe nomine tantum a se inuicem diuersos. Hinc et actus legitimi nonnisi apud illos magistratus explicari poterant, quibus legis actione data erat. l. i.

D. de offic. iuridic. alexandr. l. 4. D. de adopt. l. 3. D. de offic. Procon. Ut itaque et definitio illa, quam de legis actionibus in fine §. preced. ex GRAVINA dedimus, ad a-

ctus legitimos omnino pertineat, iamque a nobis ad eosdem iure possit applicari. Eiusdem sententiae sunt RÆ-

VAR DVS c. l. et ad l. 77. d. R. J.P. 295. it. in comment. ad LL.XII. tab.c.16. p.80. et IOSEPH. AVERANIVS d. l. 1,

12, 7. et 8. p. 148. seqq. Verum de legis actionibus latissime sumitis, quarum indolem sub initium statim §. 25. tñ an sint diversæ ab actibus legitimis?

ex ipsis juris romani fontibus exposuimus, quid dicendum erit? Mihi sane, vt vera fatear, hæc a legitimis

actibus non aliter atque genus et species differre videntur. Nam omnis peragens actum legitimum, ex le-

ge quidem agebat, non viceversa is semper actum le-

gitimum celebrasse dici poterat, qui ex lege agebat.

Neque etiam ab iis dissentio, qui forte volunt, istas le-

gis actiones improprie ita dictas, et in quibus verus et genuinus legis actionum significatus nimium extenditur,

huc plane non pertinere. Hinc et iisdem diutius nunc

inhærere sponte supersedeo, cum mihi ostendisse sufficiat, haud quicquam a legitimis actibus differe legis actiones, in vero et proprio significatu acceptas. vide IAC.

RÆVAR DVM c. l. et GRAVINAM c. l. I, 33. p. 51. et II, 80.

p. 443. seqq. Dissentit in hoc celeberrimus ille ICtus, FR. HOT-

TOMANNVS, tum in responsis amicabil. I, 30. p. 189. tum in

Hottomanno,  
actus legitimi-

quest,

mos a legis actionibus distinguenti, respondetur. quod illi  
quest. illustr. qu. 34. p. 226. seqq. itemque doctissimus GVLIELMVS BVDDÆVS in annotat. ad D. l. 4. de adopt. p. 194. in diuersa hic abit, actus legitimos a legis actionibus vterque distinguentes. Inprimis vero HOTTOMANNVS dd. II. multas differentias inter legis actiones et actus legitimos in medium proferre laborat, nec his, sed illis potius hereditatis aditionem accensendam esse purat, cuitamen se in hoc opposuit, nec frustra, GRAVINA d. l. vbi simul ea, quæ in contrarium HOTTOMANNVS afferret, ex ipsis iuris ciuilis fontibus emendantur atque corrigitur. Mea sane sententia minus recte de legis actionibus sensisse videtur HOTTOMANNVS, quippe in formulis tantum herens, et ab his solis definiens illas, quod fuerint formula rerum, tum a magistratu, tum a priuatibus instituendarum. Hinc et idem, sed aequo falso, sibi persuasum habet, genus constituere actus legitimos, sub quibus legis actiones, ut species, comprehendenderentur. Ex quibus omnibus, in primis si hæc cum iis, quæ supra §. 27. de legis actionum romanarum natura differuiimus, conferantur, satis patebit cuique, neque verum, neque sufficientem de legis actionibus conceptum, quod pacanti viri adserere liceat, habuisse HOTTOMANNVM.

## §. XXIX.

*Hereditatis aditio est tam actus legitimus, quam legis actio.* Cum itaque ex antea deductis certum sit exploratum que, actus legitimos cum legis actionibus proprie sic dicatis fuisse eosdem; facile nunc demum erit respondere ad quæstionem, supra §. 26. propositam, et in qua quærebatur: Vtrum hereditatis aditio sit actus legitimus, an vero legis actio? Mihi profecto nihil obstat quo minus vtrumque de illa iam affirmare, et hinc hereditatis aditionem tam actibus legitimis, quam legis actionibus annumerare queam. Hæc si forte dubia videntur cuiquam, is repetat velim ea quæ initio

nitio dissertationis de natura cretionis, aditionis negotio olim adscriptæ, prolixè satis differuimus. Quodsi fecerit, ibique dicta de cretione ad actus legitimos, de quorum requisitis §. 28. præcedente fuit actum, diligenter examinari, non habebit forte de quo amplius dubitare posse. Id quod vero maximum est, nec tunc porro ignorabit idem causam, ob quam nemini fuit datum antea per alium celebrandi aditionem, maxime cum intelligat, actibus (\*) legitimis hanc fuisse annumeratam, quorum haec erat conditio, ut per alium fieri nullo modo possent. Hoc vero ut in præsenti irem demonstratum, ad id ex promisso tenebar. PETR. FABER *se-  
mestr. II. 22. p. 347. et 364. IAC. CVIACIVS obseru. I. C.  
XV. 16. p. 363. seq. et AVERANIVS d. I. I. 12. 7. p. 148.*

(\*) Vnde lege agere olim dicebantur heredes, qui cernendo adibant hereditatem.

### §. XXX.

Quæ in superioribus de cretione situe aditione, eius De cretione abroganda so-  
que quoad tertium prohibitione apud Romanos tum liciti existunt  
ex ipsis legum fontibus, tum et scriptorum antiquorum Cæsares, *alia*  
testimoniis fuerunt allata, non nisi ad ius antiquum per-  
tinent, quod tamen ignorare nefas merito habetur. Est  
hoc idem ius scrupulosa illa solennitas et commentum, ut  
verbis ICri l. I. et 8. in f. C. Theod. de bonis matern. utar,  
quod successu temporis Imperatores certis in casibus pri-  
mo, dein vero in torum abrogarum esse voluerunt. Ini-  
tium fecit CONSTANTINVS M. qui, duritiem juris ve- Initium fecit  
teris emolliturus, maternas hereditates filio familias de Constantinus  
latas a cretione l. I. C. Theod. de matern. bonis, exce- Magnus,  
pit. Cesset itaque, ait, in maternis dum taxat suc-  
cessionibus commentum cretionis; et res qua ex matris  
successione fuerint ad filios denudata ita sint in parentum po-  
testa.

testate atque dominio, ut fruendi pontificium (ius, potestatem, facultatem) habeant, alienandi eis licentia datur. Nam maternum patrimonium, quod filiis in potestate constitutis obuenierit, cum patre mortuo sui iuris fuerint, pricipuum habere eos, et sine cuiusquam consortio placuit. adde l. 2. eod. vbi GOTHOFREDVS verba, interpolata cretione, recte interpretatur seposita, semota cretione.

§. XXXI.

Successio filiorum in hereditatibus maternis alia erat ex iure antiquo,

A cretionis solennitate filios, hereditates maternas adire volentes, primum liberasse CONSTANTINVM, probat l. c. 1. C. Th. de B. M. Ad quam legem eo melius intelligendam paucis hic notare placet, iure veteri, hoc est ante Imperatorem CONSTANTINVM, materna maternique generis bona, filiis in potestate positis delata, pleno iure statim patri fuisse acquisita, ita ut vi huius pleni dominii nec alienare illa idem potuerit prohiberi. Vnde et cretione hac in re olim opus esse videbatur, siquidem in his bonis extraneus erat pater, et, filii persona subdueta, patris tantum, cui successionis emolumen- tum quarebatur, persona veniebat inspicienda. Verum christianorum Imperatorum, CONSTANTINI in primis constitutionibus ius istud accusum fuit atque immutatum. Ademit enim CONSTANTINVS in maternis bonis, ad filios in potestate positos deuolutis, patribus proprietatis ius, atque adeo cretionis necessitatem in his simul remisit. l. 1, 2. et 3. b. t. A quo tempore proprietas in bonis maternis ad liberos pertinere ceperit, ita ut hi ea bona mortuo patre præcipua haberent, et a patre alienata, nulla præscriptione obstante, vindicare possent, reliquo solum patribus in iisdem bonis usus fructus iure et dominio possessionis, quamdiu nempe liberos in potestate retinerent, neque iis superducerent nouer-

nouercam. Nam hoc ultimo casu, vt patres vsumfructum tantum vsque ad maiorem filiorum ætatem, non vltra, obtinerent, iussit CONSTANTINVS M. Quodsi vero patres filios post delata his bona materna essent emancipaturi; tunc voluit idem, vt non vsumfructum, verum trientem bonorum mater-norum pleno proprietatis iure, quasi pro præmio liber-tatis et emancipationis, patres consequerentur. *l. 1. et 2. b. t.* Hæc in bonis duntaxat maternis ita obseruari con-stituit CONSTANTINVS, in ceteris antiquo iure serua-to, sic vt aui materni, vltieriusque materni generis bo-na, filiis in potestate positis delata, ad patrem pleno iure adhuc illo tempore pertinuerint, atque adeo filiis ne-cessaria fuerit in iis amplectendis solemnitas cretionis. Testatur de hoc *l. 5. h. t.*, vbi CONSTANTINVS ita de eiusmodi bonis dispositusse legitur: *si vero, inquit, filius-familias ab auo suo materno heres ostenditur institutus, pa-tre cernere iubente, filioque cernente, persona filii media be-reditas peruenit ad patrem.* Verum et hoc postea immu-tatum iuisse GRATIANVM et VALENTINIANVM, Cæ-sares, ex *l. 6. eodem* constat, qua nempe statutum est, vt et materni generis succesio, (aui nempe et proaui ma-terni, auiæ, proauiæque maternæ) filiis in potestate pa-tris positis delata, vsumfructus tantum titulo ad patres abhinc pertineret, ademto his prorsus iure obligandi ea vel alienandi. Quod et confirmatum post hæc fuit ab HONORIO, et dein ARCADIO *l. 7. et 8. eod.*

## §. XXXII.

In primis autem CONSTANTIVS id operam de-dit, vt a commento cretionis filiosfamilias omnino libe-raret. De quo optime constat ex eiusdem *l. 4. C. Th. de* matern. bonis, in qua filiosfamilias cretionis necessitatem

Constanti-  
num M, in ab-  
roganda creti-  
onis quad fi-  
lios solemnita-  
te, secutus est  
in Constantius.

in omnibus hereditatibus ipsi delatis remittit. Cretionis, inquit, obseruantiam precipimus remoueri, per quam filii patrie potestati subjecti res ex materna hereditate, vel ex diuersis successionibus, ad se deuolutas, antebac his in quo-  
 rum potestate fuerant acquirebant. Confirmasse hæc le-  
 gitimam Arcadius. Idem dein fe-  
 cit Arcadius. gitur ARCADIVS l. 8. cod. vbi: Cretionum autem serui  
 pulosam solemnitatem, sive materna filiosfamilias, sive alia  
 quedam, deferatur hereditas, bac lege emendari penitus  
 amputarique decernimus. Concessum simul fuit hac lege  
 patri, vt, si filio ipsius infanti hereditatem sub cretione  
 deferri contingeret, is aut bonorum possessionem implorare,  
 aut qualibet actis testatione successionem amplecti posset.  
 Quo ipso et illa, quæ ex veteri iure fluebat conclusio,  
 quod nempe filiusfamilias infans hereditates sub cretio-  
 ne delatas ad patrem transmittere non posset, non tam  
 expresse quam per indirectum fuit abrogata. Quippe  
 usu hucusque receptum fuerat inter Romanos, vt, de-  
 cedente intra septimum annum infante sub cretione ab  
 extraneo instituto, nihil ad parentem transmittenet ille,  
 quippe ob ætatem cernendi hereditatem, id est proau-  
 ciandi solennia cretionis verba, impeditus. Et hæc qui-  
 dem in patribus ita obtinuerunt, nam matres delatam  
 filio infanti hereditatem, et si creta hæc ab eo non fuisset,  
 nihilominus filio moriente consequerantur. l. 1. C. ad  
 SCium Tertull. Verum primus fuit VALENTINIANVS.  
 III, Cæsar, qui eiusdem cum matre iuris et participes es-  
 se voluit patres, quippe l. vn. C. Th. de cretionibus sancien-  
 do, vt pater etiam infantis filii successionem, sive illi matre  
 eius moriente adeunda hereditatis, vel petenda bonorum pos-  
 sessionis fuerit executus officium, sive ista neglexerit, (modo  
 tamen hoc catu qualicunque indicio hereditatis nomine  
 adeundæ infantis pro herede se gesserit, l. 2. C. Th. de legi-  
 tim.

(tim. heredit.) morienti filio infanti in qualibet aetate sine ambiguitate succedat. Quo ipso demum patris et matris, item aetatis filii distinctio fuit sublata, adde l. 7. §. 1. de B. P. et l. 3. C. qui admitti ad B. P. etc.

## §. XXXIII.

Non itaque omnem cretionis solennitatem, et in omnibus heredibus, quod tamen credere nos TRIBONIANVS in l. 17. C. de iure delib. iubet, ARCADIVS lege illa §. C. Tb. de bonis matern. remisit, maxime cum tale quid ex eadem nullo modo euinci arque probari queat. Potius ex utriusque legis collatione patebit cuique, retulisse tantum TRIBONIANVM in c. l. 17. pauca quædam verba ex constitutione ARCADII, quæ vnicet tamen de hereditate a filiofamilias acquirenda agit, et generalem posuisse regulam, quasi ius cretionis omne sua iam aetate ARCADIVS inislet sublatum. Ita et idem TRIBONIANVS in l. 7. C. eod. reliquit tantum illa: pro herede gereret, cum tamen in l. 2. C. Hermogen. de succession. inueniatur scriptum: cerneret vel pro herede gereret. Forte tamen hæc ideo fecit TRIBONIANVS, quod IUSTINIANVS in ævo illam scrupulositatem iam exoleuisse sciebat, vide IAC. GOTHOFREDVM in comment. ad c. l. 8. p. 662. et SCHVLTINGIVM in iurispr. Ante- Iustin. p. 644. Hinc potius IUSTINIANVS, Cæsar, primus erit nominan-

Notatur Tri-  
bonianus.

Omnem deni-  
dus, qui omnem cretionis usum et in torum gene- que cretionis  
rali quadam sanctione l. 17. C. de iure delib. prohibuit, usum suffulit Iustinianus,  
inque successionibus illam exulare fecit. Meretur res et quidem partim dire-  
vt adscribantur tam celebris constitutionis memorabilia cte,

verba. Cretionum scrupulosam solennitatem hac lege peni-  
tus amputari decernimus. Quibus verbis optime respon-  
dent alia in l. 9. C. qui admitt. ad B. P. ibi: Ut verborum

partim per in-  
directum.

*in anum excludimus captiones: Ita hoc obseruari decernimus, ut apud quemlibet iudicem, vel etiam apud Duumuiros quae- liscunque testatio amplectenda hereditatis offendatur. Nec parum sane, licet per indirectum, vius cretionis tam frequentis antea eo fuit imminutus, vbi demum in heredum utilitatem a IVSTINIANO tum deliberan- dius l. 19. C. de iure deliberandi, tum et beneficium inuen- tarii l. 22. C. eod. et Nou. 1. c. 2. fuit introductum. Nam inuentario ita confecto ab herede, vel deliberandi spa- tio ipsi concessso, hereditatem etiam adiisse heres hodie existimatur, ita vt si etiam intra spatum deliberandi mori dein forte heredem contingat: is tamen nihilominus hereditatem ad heredes suos transmisisse dicatur. l. c. 19. et 22. adde FR. DVARENVM disput. anniuersar. II, 41. p. 1074. et FR. RAGVELLVM ad decis. Justin. l. vlt. C. de iure deliber. p. 474. seq.*

### §. XXXIV.

*Leges præci-  
pux, hoc ipso  
simul abroga-  
tæ, recensem-  
tur.*

Sublata igitur a IVSTINIANO scrupulosa cretionis solemnitate, qua sola tertius ab additione hereditatis ante excludebatur; et liberum abhinc esse cepit cuique, num ipse an per alium potius, item quibuscumque verbis hereditatem ab extraneo sibi delatam adire vellent. inde iam nemini non intelligere licet, fieri sane aliter haud potuisse, quam vt hoc ipso simul tot leges atque constitutiones, quæ antiquum de cretione sive additione ius continent, saltim ex eodem fonte promanarunt, et iuri nostro Iustinianeo dein fuerunt insertæ, omnem plaine vim atque effectum amitterent, iuxta vulgatum il- lud: cessante ratione legis, cessat et ipsa lex. Ita pro sublatis merito habentur leges, nempe l. 63. D. de Avel O. H. et l. 7. §. 3. C. de curatore furioso et prodigi, quibus fu-

*rioso*

rioso sub cretione instituto, ne vel ipse vel per alium a-  
diret, ex rationibus *supra* §. a nobis explicatis omnino  
no interdicebatur. Nam vbi semel placuit **IUSTINIANO**, vt l. 17. C. de iure delib. omnem cretionis usum in-  
posterum auferret, et permisisse simul idem furioso  
adeundi per alium hereditatem recte censetur, quod  
ne et antea fieret, illud cretionis commentum vnic  
obstebat. Et ex eodem, quod in c. l. 17. haud fru-  
stra posuimus, fundamento nonnisi abrogata dici  
poterit l. 90. pr. D. de A. vel O. H. vi cuius antea omnis  
procurator, tanquam tertius, a cretionis siue aditionis  
negotio (*vide supra* §. 15.) excludebatur; quo magis con-  
stat inter omnes, moribus nostris hereditatem per pro-  
curatorem adire neminem amplius prohiberi. Potius  
omnis hodie, qui alteri mandatum dat de adeunda here-  
ditate, hoc ipso etiam adiisse eam sibiique acquisuisse  
recte existimatur. **IOS. AVERANIVS** d. l. 1, 12, 13. p.  
151. Huc denique et maiore ex parte referri debet l. 18.  
C. de iure delib., quippe cuius §. 2. tutori quidem potes-  
tas datur pupilli nomine, quod antea (*vide supra* §. 16.)  
ipsi minus licebat, adire hereditatem, vt multa tamen ei-  
dem constitutioni §. 4. in primis, simul immisceantur, quæ  
non nisi, si probe examinentur, conclusiones sunt ex iu-  
re veteri depromptæ. Has tollere omnino necesse erit,  
ne forte, si cum iure nouiori simul retineantur, contra-  
dictiones, quæ in iurisprudentia omnino vitandæ sunt,  
inde enascantur.

**§. XXXV.**

**Ex quo autem semel solennis illa aditio a IUSTI-** Subiato cre-  
**NIA-** tionis solenni

ritu simplex  
aditio, qua  
vtimur hodie,  
remanit.

N I A N O dissoluta fuit, *simplex aditio* quæ et *agnitionis* nomine venit, in successionibus imposterum obtinere ce-  
pit. De qua hic obseruare liceat; ab AR CAD IO et HO-  
NORIO, Cæsaribus, l. 8. C. Tb de bonis matern. hanc pri-  
mum inuentam, neque initio vniuersalem fuisse, sed per-  
tinuisse tantum ad eum casum, quo filii hereditates ma-  
ternæ fuerant delatae. Ut autem *simplex* appellaretur,  
haec subest causa, quia *qualicunque iudicio*, id est *citra*  
*testationem solennem*, quod aliquando requirebatur  
l. 8. C. Tb. de bonis maternis, celebrabatur. L. vn. C.  
Tb. de cretion. vel B. P. Id vero probe et utiliter, licet  
tantum in bonorum maternorum successione filiis fami-  
lias delata, ab HONORIO et AR CAD IO constitutum  
fuisse intelligens I V S T I N I A N U S, inde motus videtur,  
ut omnibus dein heredibus extraneis §. vlt. I. de hered.  
qual. et differ. permitteret licentiam vtendi; si vellent,  
haec simplici aditione. Extraneus, inquit, heres testamento  
institutus, aut ab intestato ad legitimam hereditatem voca-  
tus, potest pro herede gerere, id est, ut heres administrare,  
agere seu tractare, aut etiam nuda voluntate hereditatem su-  
scipere et ita heres fieri. et paulo post: Quemadmodum au-  
tem nuda voluntate extraneus heres fit, dicendo hereditatem  
se admittere: ita etiam contraria responsione statim ab heredi-  
tate repellitur, dicendo se non admittere hereditatem. Et  
cum ab hoc tempore usus aditionis simplicis magis quam  
antea frequens esse ceperit, fereque omnibus extiterit  
communis; dicendum omnino erit, illam in locum so-  
lennis olim aditionis, sed a I V S T I N I A N O dein abro-  
gatae, successisse, nec quidquam de hac, nisi adeundi ver-  
bum, nobis remansisse. Quæ modo dicta a nobis si com-  
binentur cum iis, quæ supra (§. 33.) tum de inuentariis  
con-

conficiendi beneficio, tum etiam *iuris deliberandi spatio*,  
quod vtrumque in heredum utilitatem IVSTINIANVS  
demum introduxit, breuiter sunt adducta; inde certo  
constabit de triplici modo, secundum quem nostra æta- Triplici hodie  
te adiri hereditates possunt. Ego vero, temporis inpri- modo heredi-  
mis rationem habens, hic demum subsisto, cum mihi possunt,  
sufficiat probasse, NON NVDA SOLVM VOLVNTATE  
ET QVIBVS CVNQVE VERBIS DECLARATA, SED ET  
PER ALIVM VEL TERTIVM HODIE ADIRE  
HEREDITATEM NEMINEM AMPLIVS  
PROHIBERI.

F I N I S.



DE ADITIONE HERBICULTORUM ET ALIA

conspicuum secundum, tum enim cum non solum  
dolor articularis in percutienti affectu iactinans  
debet interducere, priusque tunc saepe; inde cetero  
debet interducere, secundum duorum hominis etis quibus potest  
conspicere de tribus modis. Procedet remota, unde patet  
et adiutoria necessaria possunt sic gerimur impinguo, cum hinc  
miseritati respondeat, non nam sociam voluntate  
ut Garibaldianae exercitii declarata, sed et  
per aliam aer terrena hodiernam  
hereditatim nimum amittit  
prohibetur.

## E I N I S



**ULB Halle**  
005 611 202

3







24  
246  
1720  
8

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
**ADITIONE  
HEREDITATIS**  
PER  
**ALIVM**  
*QVAM  
BENEVOLO CONSENSV*  
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
PRÆSIDE  
**CONRADO FRIDERICO  
REINHARDO**  
PHIL. ET I. V. DOCTORE

PUBLICO EXAMINI SVBIICET  
**FRIDERIC. AVGVSTVS REICHELM**  
HALA-MAGDEBVRGICVS  
PHIL. ET IVR. CVLTOR.

D. XXVII. NOVEMBR. CLO IOCE XX.  
H. L. Q. C.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,  
TYPIS CHRISTOPHORI SALFELDII VIDVÆ.

